Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

repletus: pergere simul ad confortandas credentium mentes, et animos dubios confirman-
dos. At ubi hec audivit Chromatius, blandumque pape imperium equanimiter suscepit.
Venit itaque dies dominica, in qua Gaius episcopus agens que Dei sunt, inter domum Chromatii sunt
omnes congregati. Hac voce eos alloquitur: Dominus noster Ihesus Christus prescius fragilitatis huma-
ne, duos in se credentibus constituit gradus confessionis scilicet et martyrii, ut hi
qui pondus martyrii se non posse ferre desperant, confessionis gratiam teneant, et
dantes latus bellantibus Christi militibus, qui pro eius sunt nomine pugnaturi, sollici-
tudinem gerant. Pergant itaque qui volunt una cum filiis nostris Chromatio et Tybur-
tio, et mecum in hac urbe qui voluerint maneant. Non enim nos terrarum spatia
dividunt, quos Christi caritas nectit. nec ad sententiam nostram serviant oculi nostri, quia
de interioris hominis nos intuemur aspectu. Hec et his similia dicente papa Gaio,
exclamavit Tyburtius vir clarissimus dicens: Obsecro te pater episcoporum episcope, ne patia-
ris terga persequentibus dare. Michi enim valde iocundum est et optabile, pro Deo vero
milies si possem occidi, tantum ut illius vite dignitatem inveniam, quam nullus michi
successor eripiat, nulla tempora finem imponant. Tunc sanctus papa Gaius congaudens
fidei eius, lacrimas fundebat orans ut omnes qui remanserant certaminis vic-
tores existerent, triumphum martyrii capientes. Remanserunt autem cum venerabili
papa hi: Marcellianus et Marcus, simul quoque et pater clarissimus Tranquillinus; Item
beatus Sebastianus et pulcherrimus iuvenis sed mente pulchrior sanctus Tyburtius, et Nico-
stratus ex primiscrinio cum fratre suo Castorio, et cum coniuge sua Zoe nomine; Item Clau-
dius cum Victorino fratre suo, et cum filio Simphoriano, qui fuerat a morbo ydropis
liberatus. Hi tantum cum Gaio episcopo in urbe remanserunt, ceteri vero cum Chromatio
profecti sunt. Qui Marcellianum et Marcum diaconatus honore sanctificavit; Tranquilli-
num vero patrem eorum presbyterum fecit; Sebastianum vero qui ad multorum profectum sub specie mili-
tie latebat, defensorem ecclesie instituit; ceteros vero subdiacones fecit. Sed quia tantis
nullus inveniri poterat locus ad latebram confovendam, morabantur omnes apud
Castulum quendam christianum zetarium palatii, qui Castulus ibidem in palatio in su-
periori loco et valde altissimo morabatur. Ideo autem hec apta mansio putabatur, quia
et ipse Castulus cum suis omnibus christianissimus erat, et lex in lata de sacrificiis cum
ubique sui fervore deseviret, in illo qui palatio adherebat, quia nec suspitio de eis
esse poterat, celebrantur. Sicut ergo ut diximus hi morantes cum sancto papa Gaio apud
Castulum zetarium in ipsis superioribus palatii, et die noctuque gemitibus ac fletibus et ieiu-
niis atque orationibus occupati exorabant Dominum ut digni haberentur tolerantia
confessionis eius, et in numero sanctorum martyrum sociari mererentur. Ascendebant autem
ad eos occulte religiosi viri atque femine, et ut poterant ascitis diversas sibi sanita-
tum gratias impetrabant. Nam et cecorum oculi illuminabantur precibus eorum et salvabantur